



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Epistola V. Ioannis Papae XX. Ad Episcopvm Olomvcensem. De decimis in regno Bohemiae & comitatu Lucemburgensi per triennium Ioanni regi persoluendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

do, vniuersis & singulis districtius inhihemus, ne quisquam dictos articulos per nos (vt præmittitur) damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in eis vel aliquo ipsorum, vtpote a catholicis mentibus respuenda, tenere audeat seu defensare quomodolibet, vel docere. Quocirca vniuersitati vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus vniuersi & singuli vestrum in ciuitatibus & diocæsibus vestris, conuocato clero communiter, præmissa omnia & singula per vos seu alios solenniter publicetis. Nos etiam eidem magistro Iohanni mandauimus, quod ipse in scholis & in sermone Parisius prædictos articulos & contenta in eis, tamquam veritati contraria, propriæ vocis oraculo, & asseueratione constanti publice debeat reuocare: quod se facturum dictus magister Ioannes efficaciter repromisit. Datum Auinione VIII. Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

## • EPISTOLA V.

## • IOANNIS PAPÆ XX.

## AD EPISCOPVM OLOMVCENSEM.

De decimis in regno Bohemiæ & comitatu Lucemburgensi per triennium Iohanni regi persoluendis.

*Iohannes episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri episcopo Olomucensi, & dilectis filiis, Brunouieni, & sanctæ Mariæ, Lucemburgensi, Pragensi & Treuirensi diocæsibus, monasteriorum abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem.*

**N**VPER carissimus in Christo filius noster, Iohannes rex Bohemiæ illustris, per speciales nuntios suos ad nostram præsentiam destinatos, in nostra & fratrum nostrorum præsentia fecit exponi, quod ipse zelo fidei Christianæ succensus, ad imponenda opportuna præsidia sanctæ matris ecclesiæ, quam Dominus noster Iesus Christus proprio sanguine consecrauit, seque exponendum obsequiis eiusdem ecclesiæ & apostolicæ sedis toto aspirat affectu, per prædictos nuntios humili supplicatione deprecans, vt ipsum in tam pio & laudabili proposito con-

*Concil. Tom. 29.*

C



fouentes, in subsidium negotiorum huiusmodi, propter  
 quæ personam & bona sua quilibet est paratus exponere,  
 decimam ecclesiasticorum prouentuum & reddituum regni  
 Bohemici, & comitatus sui Lucemburgensis, sibi ad cer-  
 tum tempus, pro præmissorū supportandis oneribus, con-  
 cedere dignemur. Nos ergo attendentes eximia deuotio-  
 nis affectum, quem idem rex ad eiusdem redemptoris  
 nostri & sanctæ sedis obsequia ardenti promptitudine  
 deuotionis ostendit, desideriis gratis inducimur, vt eum  
 tamquam inclytum sedis apostolicæ filium, caritatis inter-  
 næ brachiis amplexantes, eius in hac parte votis, quan-  
 tum cum Deo possumus, annuamus. Volentes itaque dic-  
 to regi super præmissis suo laudabilique proposito fauoribus  
 assistere opportunis, de dictorum fratrum consilio,  
 decimam omnium ecclesiasticorum reddituum & prouentuum,  
 locorum quorumlibet ecclesiasticorum, exemptorum & non  
 exemptorum, regni & comitatus prædictorum, ab omnibus  
 archiepiscopis, episcopis, ceterisque personis ecclesiasticis  
 quibuscumque, quantacūque præfulgeant dignitate, seu  
 cuiuscumque sint præminentia, conditionis, seu status &  
 religionis vel ordinis, quibus & eorū alicui nulla  
 priuilegia vel indulgentias sub quacumque verborum  
 forma vel expressione concessa volumus suffragari  
 (præterquam a dilectis filiis, magistro & fratribus  
 hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, qui contra hostes  
 fidei Christianorum exponunt iugiter se & sua, quos  
 propter hoc ab eiusdem præstatione decimæ exemptos &  
 liberos fore decreuimus & immunes) eidem regi concessimus  
 in suum subsidium vsque ad triennium exigendam, &  
 etiam colligendam, & eidem regi assignandam. Cum itaque  
 vos, de quorum maturitate, fidelitate, & circumspectionis  
 industria, fiduciam gerimus in Domino specialem, ad  
 exactiōem huiusmodi decimæ pro dicto triennio faciendam,  
 iuxta infra scriptum modum per ipsius <sup>f. regis</sup> sedis  
 prouidentiam ordinatum, duximus eligendos: discretioni  
 vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus onus  
 huiusmodi vobis impositū suscipientes, & exequentes  
 humiliter ac deuote, vos vel duo, aut vnus vestrum  
 per vos, vel alium seu alios, quos ad hoc duxerimus deputandos,  
 de omnibus fructibus, redditibus, & prouentibus



bus ecclesiasticis dictarum personarum ecclesiasticarum, sæcularium, regularium, exemptarum & non exemptarum, in dictis regno & comitatu consistentium, videlicet ecclesiarum, monasteriorum, & beneficiorum quæ habent & obtinent in regno & comitatu prædictis, secundum modum & morem ac consuetudinem in exactione & collectione huiusmodi hætenus obseruatos, quolibet anno dicti triennii in subscriptis terminis leuetis & etiam exigatis decimam supradictam. Siquidem solutionis medietatis decimæ semianni terminum primum fore statuimus festum natiuitatis dominicæ primo venturum, secundum vero terminum festum Pentecostes, dictum festum natiuitatis dominicæ proxime secuturum: in aliis duobus annis sequentibus circa solutionem huiusmodi decimæ prædictis terminis obseruandis. Ad solutionem vero eiusdem decimæ, quoscumque exemptos & non exemptos, ipsius decimæ debitores in dictis regno & comitatu consistentes, per censuram ecclesiasticam, ac etiam per sequestrationem fructuum, reddituum, & prouentuum ecclesiasticorum suorum, consistentium in eisdem regno & comitatu (vt præmittitur) si expedire videritis, appellatione postposita, compellendo. Itaque quod ad fructus, redditus & prouentus alios eorundem extra regnum comitatumque prædicta consistentes, huiusmodi compulsionis officium nullatenus extendatis: nec ad exactiorem huiusmodi faciendam in aliquo casu per vos, vel alium seu alios, inuocetis auxilium brachii sæcularis, nisi prædictorum non soluentium contumacia exigente aliud circa hoc per sedem eandem fuerit ordinatum. Et ne de moneta, in qua prædictæ decimæ solutio fiet & fieri debet, valeat hæsitari, & vt vitentur grauamina quæ propter hoc viris ecclesiasticis interdum consueuerunt inferri, volumus quod per vos & singulos vestrum, & alios subcollectores vestros, ipsa decima ad monetam currentem communiter leuetur, ac etiam exigatur, iuxta constitutionem super hæc editam in Concilio Viennensi: ita quod prætextu alicuius concambii debitores & solutores dictæ decimæ non grauentur. Illam tamen eandemque monetam, quam recipietis, vel recipi facietis, dicto regi, seu certo nuntio teneamini assignare, huiusmodi decimam exigetis, & exigi facietis secundum



dum taxationē hactenus factam in ciuitatibus, diocēsis  
atque locis regni & comitatus prædictorum: vbi nulla hu-  
iusmodi certa taxatio fuerit, secundum consuetudinem in  
exactione & collectione dictæ decimæ faciatis, absque ali-  
quo onere expensarū eorum a quibus huiusmodi eorum  
defectu expensas fieri oporteret: ad quarum restitutionē  
eos teneri volumus & astringi. Quodque circa hanc con-  
stitutionem eiusdem Viennensis Concilii obseruantes, &  
calices, libros & alia ornamenta ecclesiarum, diuinis offi-  
cii deputata, ex causa pignoris vel distractionis capere,  
recipere, distrahere, seu quomodolibet occupare, per vos  
vel alios minime præsumetis. Non obstantibus quibuscum-  
que priuilegiis, indulgentiis, vel gratiis eisdem personis ec-  
clesiasticis, vel earum alicui, aut dignitatibus seu ordinibus  
earumdem, & specialiter Cisterciensis, Præmonstraten-  
sis, Cluniacensis, Cartusien-  
sis, Grandimontensis, vel eorum  
vniuersitatibus aut personis singularibus sub quacumque  
verborum forma vel expressione ab eadem sede concessis;  
etiam si contineatur in eis, quod de ipsorū totis tenoribus  
seruatim ac de verbo ad verbum plenam & expressam seu  
explicitam quamcumque in nostris literis fieri oporteat  
mentionem, & qualibet alia ipsius sedis indulgentia gene-  
rali vel speciali, cuiuscumque tenoris, formæ vel expres-  
sionis existat: per quam de verbo ad verbum præsentibus  
non inserta, aut nominatim & singulariter non expressam,  
effectus earum non impediri valeat quomodolibet, vel  
differri. Volumus insuper, quod vos & quilibet vestrum  
omnium reddituum & prouentuum ecclesiasticorū vestro-  
rum decimam a vobismet ipsis fideliter & integre exigatis:  
ita quod nullus vestrum circa hoc sibi indulgeat, sed  
secum in hac parte procedat, ac si tali officio in extraneo  
fungeretur, sic quod vnusquisque vestrum in scriptis re-  
digi faciat, quidquid prædicta decima de prouentibus suis  
ecclesiasticis exegerit a seipso: exactionem vero huiusmo-  
di iuxta taxationem decimæ, sicut eam consueuistis hactenus  
soluere de dictis vestris prouentibus, faciatis: alioquin  
in exactione huiusmodi seruabitis consuetudinem hactenus  
in similibus solitam obseruari: ac nihilo minus in per-  
sonas illorum ex vobis, vel vicariorum vestrorum, & alio-  
rum quorumcumque, qui de mandato nostro ad col-



lectionem exactoremque huiusmodi fuerint deputati, quique defecerint in solutione dictæ decimæ in terminis supradictis, vel in collectione & exactione huiusmodi fraudem forsitan vel malitiam adhibuerint, excommunicationis sententiam auctoritate præsentium promulgamus: a qua post satisfactionem debitam per aliquem ex vicinioribus episcopis, excommunicationis sententia non ligatum, gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, facta sibi fide de satisfactione huiusmodi, possint absolutionis beneficium obtinere. Datum Auinionē Kalendis Iunii, pontificatus nostri anno nono.

## EPISTOLA VI.

## IOANNIS PAPÆ XX.

AD EPISCOPVM PRAGENSEM.

De processu Ioannis papæ contra Ludouicum regem Romanorum.

*Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri episcopo Pragensi, salutem & apostolicam benedictionem.*

**A**D obuiandum damnandis Ludouici olim Bauariæ ducis, excommunicati hæretici & schismatici ausibus, & fidelium partium Alemanniæ periculis imminentibus occurrendum, pridem certum processum de fratrum nostrorum consilio, præsentē multitudinē copiosā fidelium, habuimus; cuius tenor sequitur in hæc verba. *Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.* Dudum peruersis & damnandis Ludouici olim Bauariæ ducis, & discorditer in regem Romanorum (sicut dicebatur) electi, conatibus, quem adeo ambitio cæca succenderat, quod eius electione per sanctā Romanam ecclesiam (ad quam cuiuscumque in regem Romanum electi, & electionis de ipso factæ approbatio & admissio, vel reprobatio vel repulsio pertinere dinoscitur) non admissa, nec eius approbata persona, nomen & titulū regium vsurpare præsumpsit temere, seque immiscere administrationi regni & imperii, ac hæreticis & rebellibus fauorem, auxilium & consilium contra sanctam ecclesiam impertiri, volentes remediis salubribus obuiare, eundem Ludouicum per nostrum edictum publicum, cum

Bulla Ioannis papæ XX. contra Ludouicū imperatorem.